Cum ea tantum perseqvi animus sit, qvæ Sturlam aliquo modo tangunt, consulto hic omittimus multas velitationes, incursiones, et prælia, quibus non interfuit; primam itaqve cum Thordo iniit expeditionem, hoc ipso autumno 1244, quo Kolbeinum adoriri constituerunt, sed in Borgarfjörðum delati, ibidemqve collectis circiter 1500 armatis, audiunt Kolbeinum imparatum opprimi non posse, unde multi melioris notæ viri, ut Thorleifus de Gardis, Bødvarus et ipse Sturla in eum arma vertere, aut incursiones in alienas provincias facere detrectarunt; sed si Thordus jure cum eo in foro generali experiri vellet, suum obtulerunt auxilium, qvod ille, cum aliud obtinere non posset, gratus accepit, quo factō tantus apparatus prorsus evanuit. Ineunte autem vere Anni 1244 cum Kolbeiniani in provinciam Dalensem magno furore irrumperent, omnesqve obvios aut graviter laderent, aut penitus caderent, ipse Sturla agerrime evasit, villæ autem ipsius, et qvæ in illis reperiebantur, spoliatæ et hostiliter tractatæ fuerunt. Tandem post fata Kolbeini, qvæ in Annum 1245 inciderunt, Sturla 20 viris stipatus, unacum alijs primoribus Thordum in provinciam Ejaßfjordensem deduxit.

Cum Thordus, Anno 1250 à Rege evocatus, amicos suos et affines Sturlam, Rafnum Oddi, Thorleifum de Gardis, Hranum Kodrani et Sæmundum Ormi provinciis præficcisset, Rex autem Norvegiæ Hacon Haconis, in id jam intentus, ut Islandiam sibi subjiceret, Anno 1251 hisce provinciis Gissurem Thorvaldi et Thorgilsium Bødvaris præposuisset, æmulatio statim et invidia inter hos magnates orta est; nam in binis quos ad Hörduholas constituerat conventibus, inter eos nec contrahi, nec Thorgilsus quicqvam impetrare potuerat, præter qvam qvod Egillus Solmundi, non invitus, ei prædium Reikholt concederet. In lubrico autem hocce rerum statu Thorgilsus cum 14 armatis Stafholtum se contulerat ad patrum suum Olaum Hvítaskald, ubi eum Rafnus et Sturla improvisi supervenientes deprehenderunt, et ad præstandum sibi fidelitatis juramentum, ringente multum Olao, et Sturlam acriter objurgante, ut mox unacum illis in Gissurum moveret, coegerunt. Thorgilsus autem accepto comæatu domum redeundi, ut se ad hoc iter pararet, mox ubi sui juris factus est, nuntium illis misit, quo omnem fidelitatem illis renunçavit; Sturla autem et Hrafnus, in Gissurum, ut constituerant, cum exercitu infestis eutes signis, nullum hujus expeditionis fructum tulerunt; ingruens enim procella ita eos infestavit, ut lassi, et detritis viribus, de resqvis ad culta vix pervenirent, tandemque a fluvio Aulvisæ, qvi glaciem abjecerat, impediti re infecta redierunt.

Cum se a Thorgilsio delusus esse videbant Rafnus et Sturla, parum abfuit qvin discordia inter eos oriretur, Rafnus enim Sturlæ imputavit, qvod aut à fratre suo Olao, aut necessitate inductus Thorgilsium

gilsus neci subtraxisset, et abeundi facultatem concessisset; quod Sturla susque deque rulit, Thorgilsus autem in Borgarfiorde se non tutum fore prævicens, se exemplo Holas ad Henricum Episcopum contulit, qui eum libenter accepit. Cum nunc de hostibus Sturla et Rafno, nunc de Eulfo et Hranio, nunc de utrisque fama volaret, quod cum exercitibus appropinquaret, ut periculum immineret videretur, ne ex utroque latere Thorgilsus invaderetur et in medio inclusus parvo negotio caperetur, quod magnum sæpius intulit terrorem et inutilis concursus causa exstitit, ipse Præsul media hyeme ad Sturlam et Rafnum arduum suscepit iter, ductoque facile in suas partes Brando Abbate, Schalholtinæ tum temporis Dioceseos Administratore, conventum proposuit pacificatorium ad Hörduhólas prope Fluvium Hvítaa, quo Rafnus et Sturla ex altera parte, ex altera autem Præsul et Abbas intercessores simul agentes conuenerunt; sed frustra, nam post longam disceptationem ré infectâ discessum fuit.

Anno 1253 Gissurus Thorvaldi, distributis inter filios, quos habebat in quadratura australi, præturis, ipse Flugumyram nobile prædium in tractu Skagfiordensi situm lares transtulit, imperiumque in provincias Hunavatnensem et Hegranensem arripuit; cumque hoc modo Rafni et Sturlæ vicinus factus esset, amicitiam cum utroque ineundi desiderium prætulit, quæ etiam saltem verbo coaluit; Sturlam autem affinitatis vinculo sibi alligare volens, filiam ejus Ingebiörgam virginem forma et dotibus præstantissimam, (nam præter dona et artes huic sexui proprias, fabrilium quævis tractandi et artium mechanicarum peritissima fuit) filio suo Hallo, qui nuper virilem togam sumserat, uxorem expetivit, quorum nuptialis solennitas, ut Flugumyræ circa initium hyemis celebraretur, constitutum fuit. Thorgilsus autem, cui Gissuri fides, et Sturla, cui Rafni amicitia dudum suspectæ fuerant, facile se ab amicis induci patiebantur, ut sepositis odiis in gratiam redirent. Itaque clam conveniunt, in quo congressu Sturla Thorgilsi arbitrio omnes eorum causas permisit, qui ingenti pecuniæ summa Sturlæ primo adjudicata, cum sciret ei certiore domi suppellectilem quam ut eandem facile solvere posset, ante quam discederent, sub conditione constantis et nunquam dissolvendæ amicitia totam ei donavit; quod communibus amicis acceptissimum, ipsis vero salutare fuit.

Ad nuptias itaque prima hyemis dominica celebrandas, Sturla Rafno aliisque magnatibus circumdatus, sponsam pomposo comitatu deduxit; nec minor à parte Gissuri magnificentia, qui non tantum nobilissimos viros, quorum in præsentia copia fuit, invitaverat, sed exquisitissima tam sua quam amicorum suppellectile domum ornaverat, reliquaque ad hilaritatem et ornatum facientia promebat largissime, ita ut hocce convivium, inter magnificentissimum, quæ hoc tempore celebrata fuerunt, numeretur, comitasque Gissuri et filiorum magnopere laudetur; sed vesperscente die Lunæ antequam discederent Rafnus, Sturla et plerique alii, Rafnus Gissurum monuit, ut sibi ab insidiis caveret; cumque ille interrogaret, unde timendæ essent, et quid de illis sciret, tam obscure suam insidiam declaravit, ut nil certi prodidisse videretur; quod Gissurus securus nimium susque deque habuit, sed eadem nocte Ejulfus Thorsteini, Hranus Codrani, Kolbeinus Grön aliique 90 insidiose eum invaserunt, subjectoque tectis igne domum combusserunt, in quo incendio Gissuri uxor, et tres filii cum multis aliis misere perierunt, ipse autem præter omnium spem ægerime evasit, nova nupta ex incendio à cognato suo Ejulfo Grön extracta fuit, maritus vero periit. Rafnum insidiarum conscium fuisse in confesso est, sed Sturlam inscium extra culpam fuisse probabilitas nobis persvadat, licet ipse emphatice scribat, Hranum Codrani ante nuptias ex Eyaþórlo Stadarholum ad Sturlam tendentis, ibique integram septimanam commoratum fuisse, cujus adventus causam cum nemo sciret, omnes mirabantur, et aliquid magni momenti subesse suspicabantur. Certe Gissuri et Sturlæ amicitia ab hoc tempore nunquam integra fuit.

Anno 1254 Gissurus diris Henrici Episcopi Holensis, et minis Sigurdi Schalholtensis ex patria profugus, juvenem præcocis ingenii Oddum Thorarini suo loco provinciae præpositus, eique ultionem injuriarum mandavit. Quam Oddus in ejus hostibus non impigre exsequens, in tantum apud Henricum Episcopum, qui incendiariis (utpote flagitii conscius et ut quidam volunt instigator) plus nimio favebat, odium incidit, ut eum diris devoveret. Oddus autem Præsulem absolutionem denegantem, captivum in arcem Flugumyrensem devexit, et ibidem aliquantis perdetinuit. Quod tam immane plerisque scelus videbatur, ut ad ejus liberationem totius fere Islandiæ Magnates concurrerent, inque his Sturla, cum haud contemnendo armatorum globo. Sed cum occidentales Rafnus, Thorgilsus, Sturla et plures alii CMLX armatis cincti in Scagafordum venirent, Episcopus libertati restitutus fuit, et Oddus tantæ multitudini cedens, ex provincia se subduxit, ut iste apparatus omnino frustra fuerit, nisi quod æmulatio inter hosce Magnates Rafnum præcipue et Sturlam, subsequenibus odiis ansam præberet.

Anno

Anno 1252 Stadarholi quidem ut antea sedem habuit, sed Hytardali alia instituta villicatione, ibidem subinde egit. Hoc Anno cum Rafnus et Ejulfus Oddum occidissent, Thorvardus autem Oddi frater hujus necis ultionem pararet, sed viribus impar Thorgilsum in suas partes trahere anniteretur, illeni Sturla consentiret, et eandem iniret societatem, ejus partibus accedere volebat. Hic itaque licet viribus eos Rafno et Ejulfo inferiores judicaret, aliquid tamen de victoria prasagiens, hanc armorum societatem non plane detrectavit. Iacta itaque hæc alea fuit, et a Triumviris Thorvardo, Thorgilso et Sturla cum CCXL armatis in Ejaßörðum itum est, ubi Rafnus et Ejulfus à viris et armis multo melius parati pugnam primo detrectare visi, in loco tuto et inaccessibili se continebant; mox autem contemptu hostis inducti, illi in planitie quæ vocatur Thverreyar pugna facultatem fecerunt, concursumque fuit magno utriusque animo et audacia; ubi Sturla tantum ostendit animi, ut præ aliis hosti se objiceret, et frustra à Thorgilso moneretur, ut cautius se generet. Is autem prælii eventus fuit, ut 18 vita privarentur, inter quos fuit Ejulfus Thorsteini hastà Thorvardi trajectus, Rafnus autem et maxima exercitus pars, fuga salutem quæssivit.

Post minoris notæ velitationes quasdam, quæ referri dignæ non videntur, Sturla et Rafnus in gratiam redierunt, quod paci inter Thorgilsum et Sturlam paulopost initæ ansam dedit, eademque hyeme Sturla Thorgilsum Hytardali magnifico convivio excepit et splendidissimis donis mastravit. Anno autem 1256 Sturla, relicto Hytardalo, læres Svignaskardum transtulit; Præturam enim Myramannensem tenenti, hoc prædium in media provincia situm, commodius habitaculum videbatur; quod ut à repentinis incursionibus tutius esset, ædes ex inferiore loco in rupes villæ proximas transtulit, antiquam tamen villicationem Stadarholi retinens, ubi subinde consedit. Sed cum Rafnus eidem præturæ inhiaret, eorum amicitia paulatim dissolui cepit, usque dum Rafnus et Asgrimus Thorsteini armorum globo cincti Sturlam Stadarholi agentem, ex improvise invaderent; quod prasagiens Sturla, sub noctem cum suis domo exiit, et in monte prope Biarnastadahlid, unde prospectus ad villam Stadarholum patuit, cum suis pernoctavit, qui primo mane cum nullus conspiceretur hostis, domum reverti voluerunt. Sturla autem eos horam sextam matutinam expectare jussit, nimium enim se somnia fallere, si tum pari domum revertendi desiderio tenerentur; prædicta autem horâ, Rafnus cum suis villam hostiliter invadentem conspicientes, in locum tutiorem se receperunt; Rafnus vero cum Sturlam domi non deprehendi posse sentiret uno tantum mediastino occiso, pari celeritate obequivit.

Cum hoc modo utriusque omnia suspecta et male tuta essent, amicorum intercessionem factum est, ut conventus pacificatorius in ripis amnis Gleraa institueretur, ubi cum convenirent, tanto uterque animo suam egit causam, ut quo diutius colloquerentur, eo à concordia longius absentes, usque dum rê infectâ prior discederet, et perfidiam Rafni timens per avia quædam in montana se reciperet; quæ suspicio non vana fuit, nam Rafnus viribus multo superior, eum è vestigio insequens, ultimum agmen carpsit, unumque postremorum occidit. Sed cum in eo esset, ut reliquos adoriretur, sudo alias celo, et splendente sole, tanta repente oborta est nebula, ut unus alterum non videret, quod Sturla presentissimum periculum evitandi occasionem præbuit, unde Rafnus se in sinus occidentales, ubi alterum domicilium habuit, Sturla autem Svignaskardum in tractu Borgfjördensi semet recepisse videntur.

Tantas sibi illatas injurias ulturus Sturla, Olavum Rafni fratrem invasit, sed quantum injuriam ei intulerit, literis non est mandatum, id autem mediocre aliquid fuisse, historiarum de consensu credere svadet. Rafnus autem hoc percipiens, eum oppressurus, veloci stipatus cohorte Svignaskardum involat, sed forte Sturla, paulo ante ejus adventum, negotia quædam in tractu Myrensi expediturus, domo exi erat; quo percepto Rafnus, ruta cæsa hostiliter quidem tractavit et perdidit, verum sine cæde et sanguine discessit, Sturla autem fratrem suum Bødvarum et Einarum Haldori in partes suas tracturus, ut una secum Rafnum invaderent, Stadium profectus est, sed spe frustratus, tutamen enim ei Einarum contra Rafnum, si hic ipsum persequeretur, obtulit, sed ut eum ultro invaderet, induci non potuit. Thorgilsum itaque nuncium misit, rogavitque ut quam celerrime sibi succurreret, qui citius omni spe cum CCCCLXXX armatis advolans, eos denuo tam æquis conditionibus, ut uterque contentus esset, in gratiam reduxit.

Anno 1256 cum Thorvardus Thorarini Thorgilsum Bødvari nefarie occidisset, et Sigurdus Thorgilsi frater ultionem fraternæ necis pararet, qui amici et cognati carissimi indignissimam mortem magnopere doluit, se ei adjunctum, primoque vere cum eo adversus Thorvardum expeditionem suscepit; sed cum Thorvardus paucis horis antequam in conspectum villæ venirent, de eorum adventu admonitus,

celerrimâ fugâ in loca tutiora se contulisset, omnis eorum labor frustra fuit, nisi quod se suosque ejus impensis in ipsius villa Grund refocillabant; ibidem autem dum manserunt, Eyolfus Abbas Muncha-thveraaensis aliique Toparchiæ Magnates, eo rem deduxerunt, ut factis induciis partium capita ad colloquendum coirent, quo tandem convenit, ut totidem arbitros utraque pars eligeret, qui presidente et judicâ moderante Brando Abbate, de intervenientibus causis sententiam dicerent. Sed variis intercedentibus impedimentis, hæc omnia evanuerunt, et causæ actio intermissa fuit usque ad annum 1262, cum demum Vigfusus Gunnsteini à Thorvardo subornatus, adjuvante Sturla, Sigurdo persuaderent, ut cum Thorvardo id magnopere desiderante in gratiam rediret. Constituto itaque conventu pacificatorio, Sturla et Regis Norvegiæ Legatus Haraldus Gullskór à parte Sigurdi arbitri electi, unacum Thorvardianis, unanimi consensu edixerunt, ut Thorvardus necem Thorgilsi 960 uncis argenteis expiaret, quam sententiam Sturla collegarum nomine in frequenti Magnatum conventu magaa gravitate pronuntiavit.

Cum Gissurus Thorvaldi Anno 1262 Comitûs dignitate coruscans, 600 armatis cinctus, in Toparchiam Rangvallensem, insidias, quas sibi Thordum Andreae struxisse querebatur, ulturus, irrumperet, Sturla cum suis ei auxilio venit, eodemque autumno filiam suam Ingebiörgam, quam Anno 1253 paulo ante incendium Flugumyrense Hallo Gissuri filio nuptum dederat, jam alterâ vicê Thordo Thorvardi Saurbajensis filio elocavit, in quo convivio Gissurus Sturlæ Baronis titulum (Lendsmans Rett) imposuit; sed subsequente hyeme Sturla alteram suam filiam Kalfô Brandi comitis cognato elocavit, in quorum nuptiis Comes Sturlæ Toparchian Borgfiordensem promisit, eumque intimorum amicorum albo inscripsit; sed cum Rafnus et Gissurus sequente Annô in concordiam redirent, Gissuri promissio Sturlæ facta de Toparchia Borgfiordensi in fumum abiisse videtur, unde ejus tam cum Gissuro, quam cum Rafno, qui eandem Præturam obtinuit, amicitia, refrigescere coepit.

Anno 1262 vel prius Sturla villam Svignaskard penitus reliquerat, suaque omnia Stadarholum contulerat; Rafnus autem post mortem Olai Hvítaskáld consentiente Sturla Stafholti lares fixerat, qui præter alias in quadratura Occidentali præturas, jam etiam Borgfiordensem excluso Sturla obtinuerat; unde ejus potentia et dominium multis intolerabile videbatur, in quibus erant ipse Sturla, ejusque filius Snorro, juvenis impiger et ferocis ingenii, qui facta cum Vigfuso Gunnsteini et Snorrone de Eiri contra Rafnum conjuratione, patrem tandem invitum, et malorum ex hoc incepto ad se redundantium providum eo induxit, ut expeditioni in Rafnum susceptæ interesset, quæ ipsi infelicissime cessit; nam præterquam quod Rafnus de eorum proposito præmonitus, copias conduxerat, fluvius Norduraa aqvis vernalibus turgens, impervius fuit, quate magno cum dedecore quam citissimè revertentes, Rafni, eos animose persequentes, iram et arma vix effugerunt.

Paulo post hunc tumultum Thurida Rafni uxor in sinus Occidentales iter fecit, verbo ut villicationem Hrafseyri institutam inspiceret, revera autem, ut occidentales contra Sturlam et ejus complices exciret, qui ad mandata exsequenda se tam paratos præstiterunt, ut maximæ molis navigia Brádafiordum transveherent. His constituto loco et tempore Rafnus cum Borgfiordensibus occurrens Snorronem utrumque Sturlæum et Eyrensem statim in suam redegit potestatem, unde ad Sturlam Strandarfelli se continentem movens, cum universis copiis Hvammsfiordum trajecit, Sturla autem conspicua hostili classe, fugam in Saurbajum instituit; quem licet Rafnus strenuissime persequeretur, capere non potuit, priusquam se certis conditionibus dederet, scilicet ut ipse sui que vitam et omnia membra illæsa retinerent, reliqua autem Rafnus constitueret. Quò pacto, Dagverdarnesi convenerunt, ubi præsentem et intercedente Olao Abbate Helgafellensi aliisque paucis seqvestribus conclusum fuit, ut Helga Sturlæ uxor, et Snorro eorum filius villicationem Stadarholensem retinerent, Sturla autem eadem ætate in Norvegiam transmitteretur, ut Rex Hacon ipse de eo prout liberet, statuere posset, apud quem Rafnus eum ut rebellem et imperii Regi seu Monarchiæ Norvegiæ summum osorem, gravissimè traduxerat, ita ut Sturla nihil magis quam ipsius iram timeret; sed eandem ei anxietatem si non penitus demisit, certe paululum

Iulum mitigavit fama in Islandia volans de hujus Regis expeditione Orcadensi eadem astate insituenda; ejus enim absentiam ad gratiam Magni Regis faciliorem aditum præbituram sperabat.

In navim itaque Norvegiæ ex portu Eirabachensi solventem, egenus et omnibus destitutus detruditur, sed commodam nactus navigationem, Biörgvini Norvegorum Regem Magnum, ejusque intimum Consiliarium Gautum de Melis, qui Sturlungorum magnus semper fuerat patronus, offendit. Hunc itaque Sturla quam primum convenit, comiterque ab eo receptus, et beneficio gratuito mactatus, cum ei suarum rerum statum et rationes luculenter exposuisset, commoda occasione oblata, ad Regem deducitur. Hic humili, ut conveniens fuit, audita Sturlæ salutatione, ast nullo ei dato responso, Gautum, quisnam hic peregrinus esset, dicere jussit. Gautus autem respondit: hic est Sturla poeta ille Islandus, vestram implorans gratiam, vir, ut puto sapiens. Cui Rex: et nos putamus eum sua sponte nos non accessisse, quod certe experietur, quam primum me conveniet; cumque Gautus moneret, Sturlam encomiastica de utroque Rege carmina composuisse, quæ recitare desideraret, respondit Rex: vivere equidem ei permittam, sed in meum non veniet satellitium; quo accepto responso abierunt. Seqvente autem die cum Gautus denuo Regem convenisset, Sturlæ nunciavit, mutatum sane in eum Regis animum esse, cum jam conclusum esset, ut navalis, quod Rex in regna orientalia facere pararet, itineris socius esset, quod Sturla in Regis potestate situm esse dixit; et ubi albo sociorum inscriptus fuit, inter primos se suaque in navim contulit, ibique in arcula sedens Regem expectavit; ille autem cum navim ascenderat, vela ventis data sunt, totisque ille dies navigationi impendebatur.

Vesperascente autem die, classis regia portum, ubi pro ejus tempestatis more pernoctaret, intra- vit, cumque reliqui coenarent, Sturlam vacuum in cista sua sedentem conspiciens Regius pedisequus, rogavit, cur non ut alii coenaret, accepitque responsum id ideo fieri, quod nihil haberet, quod ederet aut biberet. Quod ubi Regi nuntiaverat, revertens jussit ut Thorarinus Os (munaur) et Erlendus macer cum convivam haberent, quod illi sed gravatim fecerunt. Post coenam ante quam dormitum iret, proreta Regius socios rogavit, quisnam eorum ludicro quodam tempus fallere vellet, ad quod cum nemo paratus esset, Sturla antiquam fabulam de gygante Hulda recitare cepit, idque tanto cum lepore, et multo uberius quam ullus presentium unquam audiverat, unde omnes ad eam audiendam in proram navis ruebant. Id cum Regina videret, insolite hujus rei causam famulorum quendam rogavit, acceptoque responso Islandum illum egregiam de fæmina gygantea fabulam cum omnium applausu recitare, dixit: ominari se Islandum illum esse virum bonum, sed non tam nocivum, ut vulgo audiret. Posterâ autem die Rex Sturlæ et ejus convivis de sua mensa dapes misit, quo illi lætati Sturlæ id acceptum ferebant; et cum eo die, adversante vento in eodem portu detinerentur, Rex post prandium Sturlam acciri jubet, qui accedens utrosque reverenter salutavit. Illi Regina clara sed amica voce, Rex autem submissa voce respondebat, cum ad duas priores salutationes tacuisset. Quo facto Regina, ut pridie recitatam fabulam denuo enarraret, mandavit; quod ille tanta eloquentia fecit, ut magnam diei partem in sui admiratione detineret; quapropter à Regina et adstantibus summas accepit gratias, Rex autem paululum subsidens, tacuit quidem, eo autem gestu et oris aspectu, ut Sturla inde mutatam in se ejus mentem esse colligeret; unde audacior factus, petiit ut Rex ei carmina de ipso et ejus patre composita pronunciare permitteret; hac vice autem annuente Regina ut carmen de Magno Rege pactum recitaret, quod tanta parrhesia et auditorum admiratione fecit, ut honor et gratia ab omnibus ei haberetur, Rex autem diceret, se dudum audivisse, quod poetare posset.

Eodem vespere antequam Rex cubitum iret, Sturlam iterum vocari jussit, qui adveniens rogavit, quid faciendum juberet. Rex autem scyphum vino plenum poposcit, ex quo cum parum bibisset, Sturlæ eum tradidit, dicens: vinum amicis propinandum est (vín skal til vinar drecka): quem Sturla accipiens, Deum laudavit, (Gudi sé lof at sva sé) cui Rex: ita erit (sva skal vera), sed jam volo ut carmen, quod de patre meo pepigisti, recites. Hoc cum absolvisset, et omnes magnopere laudarent, Rex adjecit:

adjecit: þat ætla menn þu yrkir betur enn páfin 3. Ne Papa quidem in p̄betando tibi comparari meretur. Moxque Sturlam de ejus exilio et profectionis causa interrogare cepit, qvi luculenter omnia exposuit, Rafnum non obscure accusans, qv̄od sibi qv̄ædam affinxisset, qv̄ædam vero in pejorem partem traduxisset, nunc autem se in Regis esse potestate, ejusque et divina misericordia indigere. Cui Rex comiter respondit: carmina tua, qv̄æ audivi, eam de te opinionem mihi indiderunt, ut Poëta sis et maximus et optimus; qv̄æ tibi mea gratia et commoda mecum mansione remunerabor, sed quid pater meus tibi faciat, dies docebit, ego autem te illi de nota meliore commendabo. Ab eo momento Rex ei semper fuit amicissimus, nec minore gratia apud Reginam florebat, ad qv̄orum exemplum alii omnes se componebant. Has autem minutias, qv̄æ paucis verbis absolvi poterant, tam prolixè enumeravimus, ut documento essent, qv̄inam tum temporis Regum et Magnatum mores essent et qv̄alis in itineribus vivendi modus, qv̄antaque in qv̄otidiana conversatione simplicitas; præcipue autem hæc omnia de Magni Regis humanitate, egregium ferunt testimonium, qvi viro peregrino, valde ab hostibus denigrato et morti destinato offensas condonavit, et non tantum in amicitiam recepit, sed etiam ad honores evexit.

Pauper et omnium indigens Sturla in Norvegiam venerat, sed paupertatem sublevavit regia munificentia, qv̄æ ei necessaria largiter præbuit; et in amicitiam receptus, non in inferioribus hæsit gradibus, sed brevi inter amicos interioris admissionis et consiliarios numerari coepit; cumque Rex ejus eruditionem et eloqv̄entiam cognita haberet, Historiographi Regii munus ei commisit, et ut à patris sui historia initium faceret, mandavit. Anno itaque 1264, Sturla vitam Haconis Regis literis mandare aggressus videtur. Appetente autem vere Sturla Regis permissu in Islandiam remeavit, sed qv̄amdiu ibidem hac vice subsisteret, tam incertum est, qv̄am certum, qv̄od paulo post in Norvegiam transiverit, ibique plures annos hæserit; eo enim ibi manente, uxor ejus Helga et duo filii transfretasse videntur, de his vero annis Annales valde diversa tradunt. Qvidam Sturlam et Thorvardum novum Legum Codicem Anno 1271 in Islandiam extulisse volunt; qv̄idam autem id, sed minus recte in Annum 1273 rejiciunt, sed qv̄icquid de eo sit, id certum est, hunc codicem circa Annum 1270 concinnatum, Regem Magnum Lagabæter in Islandiam misisse, Sturlamque totius Islandiæ Nomophylacem constituisse, qvem priusquam à se dimisit primo in aulicorum et deinde dapiferorum numerum adscivit. Qvanta Regis gratia tum flourerit et qv̄am familiarem in ea habuerit confidentiam, vel inde patet, qv̄od invitante eum in Sveciam Birgero comiti, præsentè ipso Rege dicere ausus sit, Regem sibi in Islandiam transeundi veniam concessisse; qv̄od audiens Rex leviter tantum subrisit et tacendo veritatem eum proferre simulavit, unde etiam hujus Regis summa humanitas cognosci potest.

Ut non omnino certum est, quando Nomophylacis officium acceperit, ita nec quid in eo utile aut memorabile gesserit. Id tantum patet, qv̄od novum legum codicem in Islandiam introduxerit, et ad ejus præscriptum jus dixerit; nam licet Islandis hunc codicem magnopere displicuisse certum sit, Rafni tandem Oddidæ Præfecti Regii et Sturlæ Nomophylacis auctoritate, accedente haud contemnendo partium augmento Arnæ Episcopi mandato et persvasionibus, totus codex Anno 1272 in leges relatus fuit, excepto tantum titulo, qvi de hereditate agit, qvi eorundem auctoritate et persvasionibus Anno 1274 receptus fuit. Anno 1275 unacum aliis ad Regem scripsit (vide Hist. Eccl. Tom. II. pag. 10 not. a) de novo jure Ecclesiastico, et eodem Anno Arnas Episcopus de senescente ejus auctoritate scripsit. Cum autem Annis 1277 et 78 controversiæ inter clerum et laicos fervere inciperent, prudens senex semet eidem subducere consultissimum ratus, in Norvegiam Anno 1278 ultima vice trajecit Regique Nomothesiæ officium, qv̄od adeo ante octennium acceperat, reddidit; nam et ejus reditum in patriam Annales ad Annum 1279 et Thorvardi ac Lodini de Bacha Nomothesiæ initium Arnæ Episcopi vita referunt.

Sturlam suæ ætatis politicorum post patruum Snorronem et fratrem Olaum doctissimum fuisse communis est opinio; fuit enim poëta felicissimus, juris peritus, historicus, antiqv̄arius, philosophus et politicus nemini secundus, bellator animosus et dux non imperitus; plurimis enim præliis et velitationibus, qv̄æ

ejus tempore inciderunt, aut præfuit, aut interfuit, amicus fidus, et aulicus non ineptus, unde Magno, Norvegiæ Regi, Ingebiörgæ Reginæ, Byrgero Sveciæ Comiti, Gautoni de Melo aliisque Magnatibus, earus et in magno pretio fuit. Variis Sturla habitaculis usus est, diutissime autem Stadarholi lares habuit, quod prædium tandem filio suo Snorrioni tradidit, ipse autem postquam officio abierat, in Insula Fagurey sedem fixit, ibique fere septuagenarius Anno 1284 d. 30 Julii placide obdormit, corpus autem Stadarholi ad Templum Divi Petri ejus singularis patroni sepultum fuit. Fortunam sibi obsequentem, præsertim priori ætatis parte semper non habuit, sed infortunia sapientia semper superavit; dives nunquam fuit, sed semper inter primos et potentissimos cives numeratus, honores sapientia et eruditione promeritus est, nam Regis Norvegiæ primo aulicus, deinde Dapifer, Historiographus et consiliarius tandemque totius Islandiæ ab Anno 1271 ad Annum 1278 Nomophylax celeberrimus, quod officium Anno 1251 etiam gesserat. Sagacem et futurorum præscium fuisse multa svadent, quæ somniis eum ut plurimum debuisse historia docet. Negari tamen non potest, quod aliis etiam mediis ad exercitationem prophetici spiritus usus fuerit, (ut patet ex Sturlungorum Hist. Libr. 10 cap. ult.) Si non inter viros vere pios locum meretur, certe tamen pro temporum ratione valde fuit religiosus, Petrum autem Apostolum præ omnibus sanctis maxime coluit.

Ingenii et eruditionis monumenta varia eaque egregia reliquit, quorum plurima ita perisse perhibentur, ut nomen ne quidem supersit, quæ autem eum scripsisse certum est, partim adhuc exstant, partim perierunt, quorum celeberrima:

- 1) Sturlungorum Historia, pars posterior, ab Anno sc. 1209 usque ad finem, quam tamen ab aliis interpolatam esse res ipsa loquitur; quæ enim de eo ut mortuo habentur Libr. II. cap. 38 ut et Libr. X cap. ult. ab ipso scripta esse nequeunt, sed ea propter hujus operis descriptionem ei non abjudicandam esse, tales interpolationes alibi frequentissime occurrentes evincunt.
- 2) Vita Haconis Haconidæ Regis Norvegiæ jussu Magni Regis conscripta, quod opus in Norvegia Anno 1264 aut exorsus est, aut absolvit, ipso Rege et testibus oculatis documenta et materiam subministrantibus.
- 3) Vita ipsius Magni Regis, quam in secunda peregrinatione circa Annum 1270 auspicatus, ad hoc tempus deduxit; sed si eam unquam absolvit, quod incertum est, (cum id opus maxima pro parte dudum perierit) oportet id post hujus Regis mortem factum esse; quod facile potuit, cum Sturla ei quadriennium supervixerit.
- 4) Landnáma, qui liber omnium Islandicarum Historiarum Mater et Lux merito nominari debet. Hanc ab Ario inchoatam, cui ob peritiam Historiæ patriæ, cognomen hinn Frodi (Multiscius) a posteris inditum est, sed a Kolskeggo et Styrmero continuatam Sturla locupletavit et recognovit.
- 5) Variæ Athletarum vitæ, quarum licet non sit Author, ita ut eas scripserit, aut cuidam in calum dictaverit, ex ejus tamen relationibus compositæ esse perhibentur.
- 6) Carmen Encomiasticum de Hacone Norvegiæ Rege.
- 7) Aliud tale de Magno, quæ ipse Sturla coram hoc Rege magna parthesia pronuntiavit.
- 8) Panegyricum carmen Byrgero Sveciæ Comiti dictum circa Annum 1270, quod Comes coccineo pallio et capitis remuneratus est.
- 9) Multa in laudem Magni Regis composita carmina, quæ omnia, ut et reliqua viri poemata, perierunt, præter pauca quædam ex Panegyricis Regibus Haconi et Magno dicatis, quæ ipse Sturla in vita Haconis nobis conservavit.

10) Carmen Encomiasticum Thorgilso Böldvari dictum, sey Lessus in ejus indignam cædem.

Uxorem habuit Helgam Thordi filiam, quæ semel aut cum marito, aut ab eo, diutius extra patriam morante, evocata in Norvegiam transiit, ubi à Regina magnos accepit honores. Ex ea suscepit filios duos, totidemque filias. Filiorum nomine fuerunt Snorro et Thordus. Snorro procacis et indomiti ingenii, patri dissimilis fuit, Thordus autem miti et docili præditus ingenio, litteris, præsertim studio theologico totum se dedit, unde egregius Sacerdos, et tandem aulicus Regis Concionator evasit; Filiarum natu majorem nomine Ingebiörgam pater primo elocavit Hallo Gissuris Comitis filio, unico tantam biduo ante incendiū Flugumyrense in quo Hallus periit, altera vice nuptum dedit Thordo Thorvardi filio. Minorem vero filiam, cui Gudnia nomen fuit, pater dedit Kalso Brandi filio, Kolbeini Kaldalios Nepoti. Ut ab avo suo Sturla Hvammensi distingveretur, cujus eponymus fuit, a seqvioris seculi scriptoribus vocatur Sturla Lögmadur (Nomophylax), ob eruditionem Sturla hinn Fróde (Multiscius), et ob excellentiam in arte poëtica, Sturla Skáld (poëta).

CHRONOLOGIA

RERUM, MAXIME NORVEGICARUM, HISTORIÆ REGIS HACONIS HACONIS F. ET FRAGMENTI HISTORIÆ REGIS MAGNI HACONIS F.


1203. **H**acon Sverrii F. vere ex Nidarosia Bergas petit. Inde ad orientales regni fines tendens Borgæ cum Inga consuetudinem habet. Ante festum Jolense Bergas se confert. Pag. I-2.
1204. Rex Hacon d. I. Jan. moritur. Guttormus Sigurdi f. Rex a Birkibeinis creatur sed æstate sequente decedit. Ingus Bardl f. a Birkibeinis eligitur. Nascitur Hacon f. Haconis. p. 2-4.
1205. Ante festum Jolense nutricius cum puero regio et matre ejus ad Uplandos proficiscitur, et inde boream versus. p. 4-5.
1206. Hacon Haconis filius Nidarosiam deducitur. Victoria Comitissæ Haconis ad Bergas. pag. 5-9.
1207. Moritur Erlingus Steinvegg; Philippus Comitissæ filius Rex Baglorum creatur. R. Ingus Comesqve Hacon in Vikiam proficiscuntur. Arce Bergensi Bagli dedita, Principe juvene potitus est R. Philippus, a quo dein Archiepiscopo Thorero traditur. p. 9-II.
1208. Hyems acris s. Seleyensis. Bagli et Birkibeini reconciliantur. Pactum de successione inter R. Ingium et Comitem Haconem. Guttormus R. Ingii filius nascitur. p. II-15. 20.
1211. Hacon Regis filius septuaginta annorum literarum studium egreditur. p. 12.
1214. Principe Hacone annum decimum agente, Comes Hacon moritur. Princeps Hacon ad R. Ingium deducitur. Expeditione R. Ingii in Thrandos, quibuscum apud Vagsbru conciliatur. Cognati Principis Haconis eum ad res novas in Norvegia movendas, frustra concitare student. p. 15-19.
1216. R. Ingus in morbum incidit; frater ejus Skulius Comitissæ nomine decoratur. p. 19-20.
1217. R. Ingus obiit d. IX. Calend. Mai. (23. Apr. *Scr. Rev. Dan.* II. p. 509.), principe Hacone annum ætatis XIIIium agente. Is tum Rex Norvegiæ eligitur. Cum Comite Sculio ad Bergas iter facit; mutue inter eosdem altercationes. Comiti Sculio Norvegiæ ac terrarum tributariarum pars tertia in Comitissæ Gulensibus addicitur, in quibus etiam Hacon Rex proclamatur. Philippus Rex Baglorum moritur. Hacon cum Comite orientalia Regni petens in Comitissæ complurimis Regio nomine salutatur. Inducie inter Baglos et Birkibeinos. Norvegi in Islandia a Sigardo Jonæ infestantur. Dominus Christina, Haconis Gallini vidua Askello Nomophylaci Gothlandiæ nuptum data est. Rex et Comes Tunsbergam et inde Bergas movent. Oritur factio Slittingorum. p. 20-40. 44.
1218. Primus imperii R. Haconis annus. Bellum inter Birkibeinos et Slittingos. Vere Rex cum Comite Nidarosiam petit. Uterqve cum Regni proceribus ætate Bergis conveniunt, ubi mater Regis fertum gestando filii natalia probat. Rege et Comite ad Osloam venientibus Slittingi fuga se subducunt. Bagli Regi se addicunt, nomenqve factionis deponunt. Eventus in urbe Osloensi. Sub festum Jolense Rex Comesqve Tunsbergam profecti sunt. p. 44-58.
1219. Urbis Nidarosiensis incendium. Margaretha filia Comitissæ Sculli Regi connubio jungitur. Oritur factio Ribbungorum. p. 58-61.
1220. Scullus expeditionem in Islandiam molitur. Rege Bergis manente, Comes ad Vikiam contra Ribbungs tendit; inde ad Bergas revertitur. p. 61-64.
1221. Rex Comesqve Ribbungs in Osloa aggreditur et fugat. Trahus Uplandiæ a Sculianis flamma vastatur. Rex Comesqve Bergas tendunt. Matrimonium Ingeburgæ sororis Comitissæ. Cædes Vegardi Veradali. Versus autumnum Rex et Comes in Vikiam se conferunt, ubi XC. Ribbungi caduntur. Comite in Vikia remanente Rex Bergas proficiscitur. p. 64-77.

1222. Pugnant Birkibeini et Ribbungi in Uplandis. Vere ineunte Rex Nidarosia Archiepiscopum convenit. Prælium ad Miorsum inter Birkibeinos et Ribbungos; cæditur Benius. Æstate Rex a Bergis septentrionem versus movet, Ribbungis occurrurus. Comes trientem suam Norvegiæ nimis extendit. Expeditio in Biarmiam: Comes in Vikia hæret; plurima ejus cum Ribbungis certamina; cum Sigurdo Ribbungo reconciliatur. p. 77-88.
1223. Iter Comitis Sculii in Daniam. Rex Waldemarum II. captivus factus est. Conventus Regis, Comitis procerumque utriusque ordinis æstate Bergis habitus, in quo Norvegia tanquam regnum hereditarium Regi Haconi adjudicatur. Pæctio inter Regem et Comitem. Comes cum Sigurdo Ribbung ad partes boreales; Rex in Vikiam tendit, festinæque Jolense Tunsbergis celebrat. p. 88-102.
1224. Moritur Archiepiscopus Guttormus, cui succedit Petrus de Husabæ. Rex æstatem Tunsbergis et Bergis exigit. Sigurdus Ribbung ad Vermiam se proripit; inde ad Norvegiam reversus turbas ibi excitat. De hoc Rex apud Regem Sveciæ conqueritur. Festum Jolense Tunsbergis agit. p. 102-10.
1225. Incursio Regis Haconis in Vermiam. Ribbungi Tunsbergam invadunt; inde in superiora regni moventes valde grassantur. Nuptiæ Regis Haconis cum virgine Margaretha. Rex Ribbungos ex Osloa pellit. Archiepiscopus Petrus ad Norvegiam rediit. Birkibeinorum et Ribbungorum certamina. Decedit Nicolaus Episcopus Osloensis. Askellus nomophylax et Domina Christina Regem Konghella visitant. Rex festum jolense Tunsbergis transigit. p. 111-42.
1226. Hacon Bergis petit agmen adversus Ribbungos coacturus. Sigurdus Ribbung in Vikiam movet. Comes Sculius et Archiepiscopus Petrus Regem ad reconciliationem cum Sigurdo minis perducere student. Sigurdus Rex Ribbungorum moritur; Domicellus Canutus factioni eorum præficitur regiumque nomen sumit. Ribbungi ex Osloa peluntur sed in Uplandis manent. Rex Archiepiscopum et Comitem Bergis convenit. Canutus Ribbung, robore in Vermis collecto, in Norvegiam incursionem facit; quo comperto Rex ad orientalia tendens, Osloa moratur. Archiepiscopus Petrus decedit. p. 142-53. 165.
1227. Quidam ex Ribbungs ad Regem transeunt. Mutua reliquorum et Birkibeinorum certamina. Dolus Domini Canuti. Dissolvitur Ribbungorum factio; Canutus Regi se dedit. Rex cum Comite Sculio Bergis supra hiemem moratur. Canutus filiam Comitis matrimonio sibi jungit. Nascitur Olaus filius Regis Haconis. p. 153-66.
1228. Archiepiscopus Thorerus Romæ advenit. Comes Sculius Dominusque Canutus Waldemarum Regem Danicæ visitant. Reduces, Comes Nidarosiam, Canutus Regem Bergis morantem petunt. p. 166-68.
1229. Episcopi Norvegiæ æstate Nidarosia conveniunt. Andreas Skialdarband iter ad Hierosolimam suscipit. p. 169-70.
1230. Rex hiemem Osloa transigit. Ospacum Habudicum nomine regio salutatur. Moritur Archiepiscopus Thorerus, in cujus locum eligitur Sigurdus. Bellici tumultus in occidente. Expeditio in Habudes. Hyeme Rex Bergis moratur. p. 170-74.
1231. Archiepiscopus Sigurdus inauguratus revertitur (1232 S. R. D. III. p. 90.) Cædes Jonæ comitis Orcadensis. p. 174-77.
1232. Qui cædi Comitis Orcadensis interfuerant decollantur. Rex et Comes Bergis morantur. Nascitur Regi filius Hacon. p. 177-78.
1233. Simultates oriuntur inter Regem Haconem et Comitem. Ambo æstate Bergis conveniunt, ibique reconciliantur. Nascitur filia Regis Christina. p. 178-83.
1234. Incipiunt similtates Regis cum Paulo Episcopo Hamrensi. Labores Regis Tunsbergis. Æstate Rex Bergas petit, quo etiam venit Comes Sculius. Moritur Inga Regis mater. (1235. S. R. D. III. p. 91.) p. 183-84.
1235. Regis cum Islandis facta conventio. Offensiones Regem inter et Comitem Sculiam oriuntur. Rex cum ad Nidarosiam frustra invitatur. Induciæ tamen panguntur. Oritur Varhelgorm factio secunda. p. 184-91.
1236. De pace inter Regem et Comitem tractatur. Obsidibus invicem traditis, Bergis conveniunt ibique per hiemem morantur. p. 191-93.
1237. Vere Rex et Comes Nidarosiam proficiscuntur. Rex ei Ducis titulum confert (1238. S. R. D. III. p. 93.) Inter Imperatorem Rouannum Regemque frequentia commercia vigerunt. Proceres Islandi ad Norvegiam venire. Rex cum Duce æstatem Bergis exigit, ubi inter Cives et Theotiscos Hanseaticos contentiones exititæ, hiememque Osloa. p. 193-98.
1238. Dux Nidarosiam petit. Regi Magnus filius natus est. Rex cum Duce Bergis aliquamdiu manet, ubi ille quoque hiemem, hic vero eam Nidarosia transigit. p. 198-200.

1239. Proceres Islandi contra jussum Regis revertuntur. Rex et Dux copias cogunt. Rex Bergas venit. Archiepiscopus inducias indicit. Dux in comitio Eyrensi regio nomine salutari se facit. In viros regios ubicunque grassatur. Rex Bergis constitutus universas regni copias ad se convocat; festum jolense ibi celebrat. Canuto nomen Comitatus datur. p. 200-21. 222.
1240. Apparet Cometa. Rex Nidarosiam petit; Duce ad orientalia Regni (Osloam) discedente. Biörno Abbas anathemate percutitur. Prælium ad Lakam inter Birkibeinos et Varbelgos; fugit Comes Canutus. Haconi juniori regium nomen in comitio Eyrensi et dein Bergis datur. Rex ad orientalia navigat, Ducem Osloæ aggr. ditur et vincit. Dux fugiens Nidarosiam se confert; d. IX. Cal. Junii ipse cum filio Petro trucidatur. Rex et æstatem et hiemem Bergis transigit. p. 221-64.
1241. Moritur Waldemarum II. Rex Dania. Rex ad Vikiam proficiscitur. Filia ejus Cecilia Gregorio Andrez filio desponsatur. Necatur Snorrius Sturlonides, Nidarosia Rex per hiemem moratur. p. 265-66.
1242. Nuptiæ Cecilie cum Gregorio. Rex æstatem Bergis transigit. p. 266.
1243. Rex æstatem et hiemem Bergis terit. p. 266.
1244. Legati ab Alexandro Rege Scotia ad Regem missi. Rex Nidarosiam tendit, ubi literas a Pape missas excipit. Autumno ad Vikiam proficiscitur, ubi etiam hieme moratur. p. 267-68.
1245. Conventus Episcoporum Bergis. Rex ad Papam nuncios mittit. Hiemem Bergis transigit. p. 268-69.
1246. Rex Nidarosia hiemat. Comperit Cardinalem adventurum, qui ipsum inauguraret. p. 269-70.
1247. Vere Rex Bergas proficiscitur. Cardinalis Wilhelmus die XVII. mo Junii Norvegia appellit. Ejus et Regis negotia. Inauguratur Rex Hacon die S. Olavi. Instituta Cardinalis, ejusdemque admonitio, ut Islandi Regi se subicerent. Cardinalis à Norvegia discedit. Rex Osloæ hieme manet. p. 270-85.
1248. Filia Regis Cecilia Haraldo Regi Mennia desponsatur et dein matrimonio jungitur. Incendium Bergarum. Hacon, Jonæ Dungadi filio Regis Harbadarum titulum impertit. Haraldus et uxor Cecilia intereunt. Rex ad fines regni se confert, Regem Svecum coaventurus. Hieme in Vikia manet. p. 286-90.
1249. Rex Jones insulas occidentales petit. Alexander Rex Scotia expeditioni adversus Harbadus se accingens moritur. Rex Hacon et Birgerus Comes Svecia prope Liodhusam conveniunt. Regi Haconi juniori filia Comitatus Rikiza desponsatur. Hiemem Rex Bergis transigit. p. 290-96.
1250. Moritur Ericus Rex Svecia; Waldemarum Birgeri filius Rex eligitur. Cordes Erici Regis Dania; fratris ejus Abelis electio. Multi Islandorum Regem conveniunt. Legatio Regis Haconis ad Imperatorem Fridericum. Æstate Rex Nidarosiam se confert, ubi hieme moratur. p. 297-98.
1251. Missi inter Haconem et Abelem nuntii; item inter Haconem et Alexandrum Regem Gardarika. Hacon Regem Abelem ad regni confinia frustra expectat. Graves in Svecia turbæ. Nuptiæ Regis Haconis junioris cum Rikiza celebrantur. Rex Osloæ hibernat, festumque Jolense Havnæ celebrat. p. 298-303.
1252. Moritur Archiepiscopus Sigurdus; ei Sörlius sufficitur. Vere conveniunt Rex et Birgerus Comes et de expeditione adversus Danos consilium capiunt. Rex æstate et hieme Bergis moratur. Rex Danorum Abel perit; frater ejus Ericus Rex creatur. p. 303-5.
1253. Expeditio Regis navalis in Daniam; Birgeri Comitatus terrestres. Inducia inter partem utramque panguntur. Rex hiemem Nidarosia transigit. p. 303-10.
1254. Obiit Archiepiscopus Sörlius; in ejus locum eligitur Einarus. Conventus ad Gothalbin inter Reges Norvegia et Dania Comitemque Svecia. Sigurdus Regis filius obiit. Sigvardus Episcopus a Rege ad Islandiam abigatur. Rex hieme Tunsbergis moratur. p. 310-12.
1255. Æstatem Rex Bergis agit. Transactiones in Islandia. Archiepiscopus Einarus ad Norvegia venit. Deliberatio de regni inter filios Regis divisione. Legatio Regis Haconis junioris ad Hispaniam. Hieme Rex Bergis manet. p. 312-14.
1256. Ablegat quosdam Rex ad Archiepiscopum Lundensem. Expeditio in Daniam. Hallandia vastatur a Norvegia Duce Rege Hacone juniore. Legati a Rege Hispania missi adveniunt. Rex hiemem Bergis transigit. p. 314-23.
1257. Rex Junior vitricum et affinem in Svecia visitat; in Norvegia reversus in morbum incidit et Tunsbergis moritur. Rex Hacon expeditionem instruit. Filia Regis Christina in Hispaniam elocatur. Domicellus Magnus in comitibus Regis nomine salutatur. Rex Hacon classe in fretum Öresund tendit. Reconciliatio cum Rege Dania. Rex in Norvegia redit et Nidarosia hibernat. p. 323-34.

1258. Nuptiæ Domicellæ Christinz cum Philippo Regis Castiliæ fratre habentur. Conveniunt Reges et Comes Birgerus ad Gothalbin, de auxilio Regi Daniæ ferendo deliberaturi. Redeunt qui Domicellam Christinam ad Hispaniam secuti fuerant. Gissurus Thorvaldi filius titulo Comitis ornatus ad Islandiam mittitur. Rex hieme Bergis moratur. p. 334-37.
1259. Rex in Daniam copias auxiliares ducit. Decedit Rex Daniæ Christophorus; succedit ei filius Ericus. Rex Norvegiam repetens Bergis hibernat. p. 337-38.
1260. Transactiones in Islandia de tributo Regi pendendo. Reges cum Birgero Comite ad Gothalbin conveniunt. Simultes inter Regem et Archiepiscopum de electione Episcopi Hamrensis. Æstatem Nidarosiaz et in borealibus regni agit Rex; hieme Bergis manet. p. 338-41.
1261. Mortuus est Domicellus Sverrerus. Ingiburga filia Regis Daniæ Regi Magno in uxorem promittitur. Principissa ex Daniæ accessit et Regi Magno matrimonio jungitur. Nuptiarum magna celebratio. Rex Magnus cum Regina Ingiburga sollemniter inaugurantur. Mors Comitis Canuti. Islandi quadrantum borealis, australis et occidentalis (1262. *Scr. Rer. Dan.* III. p. 103) Regi fidem et tributum addicunt. Hieme Rex uterque Bergis moratur p. 341-52.
1262. Reges Vikiam petunt. Legatio, eorum et Birgeri Comitis nomine, in Daniam. Halvardus Gullskor ex Islandia venit. Natus Regi Magno filius Olavus. Rex uterque æstatem Bergis exigit, autumno Nidarosiam movet. Legati ex Daniæ redeunt. Hæbudes a Scotis infestantur. Rex expeditionem in Scotiam indicit. Regni gubernatio Magno traditur. Rex cum classe Norvegiam linquit. p. 352-59.
1263. Rex Hacon Oreades attingens inde Scotiam adgreditur. Res ibi gestæ. Morbus Regis Haconis et obitus nocte inter dies XV. et XVI. Decembris (cfr. *Scr. Rer. Dan.* II. p. 519). Indoles et instituta Regis. Autumno decedit Archiepiscopus Einarus. p. 359-84.
1264. Funus Regis Haconis Bergas deportatur, ibique d. XXII. Martii humatur. (NB. A. 1263, quem exhibet Noster p. 380, error est, vel ab auctore vel a scriptore commissus). De pace inter Norvegiam et Scotiam frustra agitur. Hæbudes a Scotis infestantur. Rex Magnus legatos ad Regem Scotiæ mittit; æstatem Bergis agit. Universa Islandia Regi se submittit. Autumno Rex ad Nidarosiam se confert ubi hibernat. p. 379-80. 384-88.
1265. Nunci ex Scotia redeunt. Vere Rex versus Bergas iter facit. Legatos in Scotiam mittit. p. 387-88.
1272. Rex Præpositum zdi Apostolorum Bergensi constituit. (1271. *Scr. Rer. Dan.* III. p. 112) p. 388.
1273. Conventus Regis Magni et Waldemari Regis Sveciæ Sarpsburgi. Rex Tunsbergis hiemem agit. p. 398-90.
1274. Legati inter Regem Norvegiæ et Daniæ missi. De feudis regni delibatur. Rex zstate Bergis consideret; filium Ericum Regio, Haconem Ducali nomine salutari facit. p. 390-92.


GENEALOGICUM STEMMA HACONIS HACONIS FIL. ET MAGNI LEGUM EMENDATORIS, REGUM NORVEGIÆ.



Annotanda:

Nescimus: an Olavus Inge filius (pag. 101 & pl.) fuerit Regis Haconis frater uterinus,
 Nescimus: quonam cognationis gradu Regi juncti essent:
 Martein Konungsfrændi pag. 58. cf. Additam. II. ad *Schnabelii Hardangers Beskrivelse*.
 Asolfi. Konungsfrændi p. 70.
 Vegard Veradal Konungsmág. p. 74.
 Olaftr Mók Konungsfrændi. p. 106. (cf. Torfrei Hjst. Norv. IV. p. 167.)
 Guttorm Fiónkr Konungsfrændi. p. 152.
 Andrés Skjalldarband Konungsfrændi p. 169.
 Lacrantz Konungsfrændi p. 293.
 Jon ef Sudrheimum Konungsfrændi p. 233.
 Knutr sun Magnus Bróka frændi Hakonar Konungs p. 298.

STEMMA GENEALOGICUM DUCIS SCULII.



SAGA HÁKONAR KONUNGS HÁKONAR SONAR.

CAP. I.

a) **A** daugom Innocentii Pafa b) þess er hinn þrjú þripi var med því nafni í postuligo sæti, gerduz þau típindi í norðr-laundom er saman ero sett um aði Hákonar Kongs sonar Hákonar Sverris sonar. Þá var lidit frá holdgan vars herra Jesu Christi M oc CC oc III vetr. Þá voro Keisarar yfir Roma borgar ríki Filippus af c) Suava ú á Puli. Enn Otta sun Heinreks Hertoga af Brunsvík firi nordan siall. Þeir striddo sín á milli þar til er Filippus var veginn d) hertogi af sinom piónofto mönnum. Þá var Konungr yfir Danmörk Valldimarr Valldimars sun, enn Saukver Karlsun í Suþíóid; Jón Heinreks sun í Englandi, er kalladr sine terra; enn e) Hakon Sverris sun í Noregi. Þat var einom vetr eftir andlát Sverris Konungs. Þann vetr hafði Hákon Konungr setid norðr í þrandheimi, oc for um varit suðr til Biörgyniar. Hann dvalþiz þar litla hríd, fór þá þann suðr med landz

oc

- a) Her hefr saugu Hákonar Konungs Hákonar sonar hins Krunada, 47.
— — — — — ins gamla sonarsonar Sverris Konungs 42.
— — — — — á þann hátt at 4 degum etc. Cod. Fl.

þ) Þes — þrjú var omit, 42. c) Suafaborg, Cod. Fl.

d) Af Philippo Hertoga sinum undirmanni 47. þionostomanni 81, a. Cod. Fl.

e) Sverrir í Noregi. Þá er Hákon Konungr hafði rádit einn vetr fyrir Noregi; fór hann um sumarit eit suðr til lands enda, eftir því sem frá er ríat. Konungr dvaldiz um haustit í Borg. Þá var hið honom kona sú er Inga het — vissi oc enn fleiri menn. Þenna vetr letz Hákon Konungr, var Guthormr þá til Konungs tekinn yfir Noreg, enn Hákon Gelin til Jarls eftir því sem segir í Bauglunga-Saugum. Inga sú er fyr vat nefnd var í því hersdi er Hegginn heitir, í þeim bæ er Folkisberg heitir, etc. 42.

Kong Hakon Hakonsens Historie.

Cap. I.

S Pave Innocentis den tredies Dage tildroge sig de Tidender i de nordre Lande, som her ere sammenfrevne om Kong Hakons Hakon Sverresens Söns Levnet. Da vare forlobne 1203 Aar efter vor Herres Jesu Christi Födsel. Keisere i det romerske Rige vare dengang Philip af Svaben i Apulien, og Otto Hertug Henrik's Son af Brunsvig i Tydsland; de strede sammen, indtil Hertug Philip blev dræbt af sine egne Mænd. Da regierede Valdemar Valdemars Son i Danmark, Sorkver Karlfon i Sverrig, Jon Henrik's Son med Tilnavn sine terra i Engelland og Hakon Sverres Son i Norge; det var et Aar efter Kong Sverres Död. Den Winter havde Kong Hakon fadt nord i Thronhiem. Om Vaaren drog han sonder til Bergen, opholdt sig der en kort Tid, reiste dernæst sonder paa og videre öster lige

til

HISTORIA HACONIS REGIS HACONIS FILII.

CAP. I.

Tempore Innocentii Pontificis Romani, qui tertius hujus nominis in solio sedebat apostolico, ea in septentrione venerunt, que de rebus ab Hacone, Haconis Sverreri filio gestis memorie heic prodidimus. Elapsi tunc erant a nativitate Christi MCCIII anni; regnabantque Imperator Romanus Philippus Svabicus in Apulia, et in borealibus partibus Otto Henrici Ducis Brunsvicensis filius. Hi de imperio infestis armis certabant, donec Philippus a suis ipse ministris cedebatur. Erant illo tempore reges: in Dania Valdemarus, Valdemari filius, in Suecia Sorkverus Caroli fil., in Anglia Johannes Henrici fil., diæsus sine terra, in Norvegia Hakon Sverreri; atque a morte Sverreri Regis unus annus effluxerat. Istam hyemem Rex Hakon Nidarosie exegerat. Vere autem sequente Bergas petiit; ubi cum paulisper moratus fuerat, meridionalem tractum legens austrum versus ad ultimas usque terre oras tendit, ibique brevi

A

tempore

